GULIELMO ANSLARIO IOHANNES COCCEJUS.

Dilectissime fili.

Cistas, quas remisisti, accepimus. Spero, te etiam accepisse literas meas postremas, quibus addideram notas ad cap. VIII. epist. ad Romanos. Confido, dolores tuos, quos ex casu aut frigore contraxeras, sedatos esse. Cura diligenter valetudinem tuam. Cum Collega D. ab Hesse tibi convenire, ex animo gaudeo. Velim, eum meis verbis officiosissime salutes. Meus Collega ad Typum Concordiæ reposuit libellum sophisticum. Vide instar. Dixeram, Otiari in libertate Christiana et ex praecepto contraria sunt. Ille, libertatem Christianam non pugnare praeceptis Dei, quasi libertatem Christianam vellem oppositam omnibus praeceptis; aut, quasi illi, qui dicunt, Christianos Dominica vacare in libertate Christiana, non dicerent, libertatem Christianam se extendere ad praeceptum, Non operaberis. Nescio, quid adversus sim. Putat, pro ut dignum est, respondere. Fortasse in libello de Foedere paullo plenius agam de Sabbato. Idem meus Collega propter disputationem inauguralem negocium facessit Cattiro ex thes. XXXII. eumque non vult admittere ad promotionem. Cum eo conspirant Cocheiusius, Rhysius, Hornius (sed sine Eic moderatior) Bornius. Illi per consules intercesserunt promotioni, et, cum Senatus ea de re actum esset, et is clamoribus immodestissimis turbatus fuisset, et ego post aliquos dies Collegas D. in Senatum convocassem testimonii dicendi causa (quod et dederunt) occasione arrepta e vestigio libellum supplicem Ordinibus exhibuit, me accusans, quod perperam concessissem diem ad disputandum, quodque Senatum agere ad factiones conciliandas, exclusis illis, qui parati sunt stare ordinum decretis. de novis. Spopondit

Ego re cognita, cum D. Heidano, Colonio, Lindano assessoribus ivi Hagam, et de Hornb. et Bornio, ut turbatoribus ordinis conquestus sum. Uterque libellus DD. Curatoribus et Consulibus traditus est, ut suas considerationes et consilia impertirentur. Exitum norit Deus: saltem, ordinem esse turbatum ab H. et B. clarissime constat. Intelligo, inter proceres fuisse, qui putarent, me debuisse promotionem procedere non obstantibus illis contradictionibus. Sed mihi videtur, Sat cito si sat bene. D. Januarii convenient Curatores. Folia libelli de foedere sex excusa sunt. Mittam cum navi, quae ibit, soluta glacie. D. Sonnius pater et filius vehementi sua instantia effecerunt, ut filio decreverim cras ad petitionem annuere. Tantum de pretio cave. Nescio, quantum alibi solvatur. Et talia officia debent esse sine incommodo, imo cum aliquo commodo. Pater spondet, quod postularem. Sed metuo men avari. ~~[illegible] volo singulis septimanis [illegible] ita dicet facilius scribere. Si autem, illa scribente tu scribere [illegible], ea atramentarium et calamum occupante, mittem proxima fasciculo [illegible] cum atramentario.~~ Deus vos custodiat. Omnes per ejus gratiam valemus et vos salutamus. d. 28. Decemb. 1659.

Dit te laeten, quia jam in editis inveniuntur.

Omittendum

[illegible]dag open te laeten [illegible]at stippen.

Reverendo et doctiſſimo
Viro D. Gulielmo
Anslario V. D. Mi-
nistro.
Bieſelingam.